

Victus.

Bellon.

Aquatil. l. 2.
c. 3.

Generatio.

Arist. H. A.
l. 5. c. 17.

Victus ipsis pisciculi, quos circa cubilia capiunt, et captos ori forcipe suo admovent. Muraenas et congros majores devorare, et cibos ore tere, quod oris constitutio et gulae angustia ostendit, observavit Bellonius. *Vita* omnibus diuturnior. De *Generatione* ita Aristoteles. In genere crustatorum locusta post coitum impletur, et continet ova circiter menses tres, Majo, Junio, Quintili. Deinde edit ea sub ventre ad plicaturas: ubi crescunt, quomodo solent vermiculi. Id quod commune est et molluscis et piscibus oviparis, ut omnium ova crescant. Locustarum igitur ovum est solutile in arenae modum, octo in classes partitum: pro numero scilicet cooperculorum, quae lateri adhaerent. Quorum singulis cartilagineum quiddam adsitum est: circum quod haerent cumulata specie rami: unum quodque enim horum cartilagineorum in plura scinditur. Quod deprehendas, si diducas: sin aliter intueare, unum corpus concretum putes. Grandissimum quodque non est ad foramen, sed ad medium: postrema autem minima. Minimis magnitudo quantafici granulo. Neque continuo ipsi meatui haerent, sed medio. A cauda namque ad pectus, duo, singula utrinque sunt potissimum intervalla. Sic enim etiam coopercula ipsa disposita sunt, ut a latere tegere non possint. Quare extremitatibus suis imposita cooperculi modo contegunt omnia. Videtur autem parturiens producere ova ipsa ad illa cartilaginea caudae applicatu. Comprimens enim sese atque statim curvans parit. Cartilaginea hoc tempore augescunt ita, ut ovorum ipsorum capacia esse possint. Nam ad cartilaginea pariunt, sicut Sepiae ad malleolos, aut alia quae fluitant. Is est pariendi modus. Concoquit autem ibidem potissimum vicens diebus. Tum abjicit cuncta simul consistentia sicut cum ejecit, videntur: inde ex his locustae oriuntur die fere quinto decimo: capiunturque saepe numero minores digito. Ante Arcturum pariunt, post Arcturum amittunt ova. Hucusque Aristoteles.

Arist. H. A.
l. 4. c. 2.

Sexus differentia in eo consistit, quod foeminae primus pes bipartitus sit, mari continuatus uno ungue. Foemina quoque pinnulas quae subtus sunt magnas habet, sed collum versus decrecentes. Mas omnes aequae minores. Maris etiam pedibus postremis quasi calcaria quaedam sunt: eaque tum magna, tum acuta, foeminae ejusmodi pars parva et inoffensa. Rondeletius addit in caudae supina parte foeminam habere appendices duplicis pinnis similes, ad contegenda et conservanda ova; mari simplices et parvas. Vulvam bifurcatam habere, Aristoteles testis est.

Sexus.

De *Natatu*, pedes anteriores, in eo qui majores sunt moveri Bellonius negat, sed pinnulis, quas partim sub cauda gerit, partim in extremo ejusdem, tum quaternis reliquis pedibus natare asserit. Cum nullius rei metu afficitur, anteverfus progreditur non praetensis sed obliquatis ad latera cornibus, ne aqua contra natantem ruens reprimat cornua, et ulterius progredi prohibeat. Retrocedens in metu, demittit et laxat eadem, et tanquam remis altius demissis Scapham propellens, multum itineris conficit. Latent mensibus quinis, et more arietum cornibus dimicant. Laedi non posse, nisi sub cauda, tradit Rondeletius. *Antipathiam* si attendas, tantum Polypum pavet, ut, si juxta viderit, omnino moriatur. Muraenam eadem aggreditur, et ex victa prandium instituit.

Arist. de Generatione. l. 3. c. 8.

Motus.

Bellon.
Aquatil. l. 2.Aelian. H.
A. l. 9. c. 25.Plin. H. N.
l. 9. c. 30.Antipathia.
Plin. H. N.
l. 9. c. 30.

Usus in Cibus si spectes, Collimendon ideo Carabi accepit nomen, quod hoc cibi genere impenſe delectaretur. Eliguntur gravidae et tempore plenilunii. Praeferuntur in Italia ab Octobri usque ad Aprilem: praeferuntur et maximae, quales capiuntur in mari Indico, et circa Africae quoddam littus loco petroso, ut scribit Synesius. Plus carnis habent quam Cancris, ut Diphilo Siphinio apud Athenaeum visum, difficulter concoquuntur, sed admodum nutriunt falsi humoris sicci-que participes, et si aqua dulci saepius coquantur, ventrem cohibent. Condituras vide apud Aldrovandum.

Usus.

Usus